Acc 2014-332

MAGISTRI

NICOLAI DE CLAMENGIIS CATALAVNENSIS,

DE LAPSV ET REPARATIONE Iuſtitiæ, Liber vnus.

Eiuſdem auctoris vita, cum indice librorum à ſe compoſitorum.



PARISIIS,
Apud HIERONYMVM DROVART, in via Sancti Iacobi ſub ſcuto Solari.

Anno M. DC. IX.

TYPOGRAPHVS LECTORI, S. D.

DVÆ ſunt cauſæ, lector beneuole, quæ me ad hunc libellum, *de lapſu & reparatione Iuſtitiæ*, edendum incitarunt. Prior, vt viros doctos, qui opera Nicolai de Clamengijs tam diu in ſuis bibliothecis obſoleſcere patiuntur, ad illa recognoſcenda & euulganda inuitarem: quod vt confeſtim faciant, eos etiam atque etiam obteſtor. Poſterior, vt meis popularibus demonſtrarem, falſo humanum genus de ſui ſeculi iniquitate, ac ſi retroactis temporibus nulla vnquam ſimilis extitiſſet, cõqueri. Quotuſquiſque enim maiorum noſtrorum hiſtorias cogitate reuoluit, & aliquid eorum quæ ſeculo noſtro dicta aut facta ſunt, non pridem ante dicta & facta eſſe animaduertit? Proculdubio, ſi ſtudia literarum, quæ omnibus alijs in rebus hodie ingratiſſima & pæne inutilia ſunt, nihil aliud boni, hoc ſaltem commodi hominibus adferunt, vt ea quæ in vita vſu eueniũt parum admirentur: quod maximi eſſe momenti ad vitam beate tranſigendam, neſcio quis Poëta egregie indicat.

Nil admirari prope res eſt vna Numici
Solaque quæ poßit facere & ſeruare beatum.

Vale Lector, & hoc noſtrum erga rempublicam literariam ſtudium, æqui bonique habe.

EPISTOLA MAGISTRI NICOLAI DE CLAMENGIIS, AD ILLVSTREM AC PIVM PRINCIPEM Philippum ducem Burgundionum.

F*AMA tuæ virtutis celeberrimæ (quæ te vbique miris ad cœlum laudibus extollit) inductus, rumore quoque propenſioris beneuolentiæ, quam ad tuæ natalis patriæ (mirabiliter nimis, imo certe miſerabiliter deſolatæ) conſolationem geſtare diceris, excitatus : libellum quemdam* de lapſu atque reformatione patriæ ipſius, *per me nuper editum ad tuam ſtatui ſerenitatem dirigere: non tam quidem vt ſtimulos ardori tuæ affectionis adijcerem (qui ſatis ex ſemetipſo ſtimulatus alienis nequaquam indiget ſtimulis vrgeri) quam vt ſi quid fortaßis vtile mihi Chriſtus inſpirare dignaretur in tanta re, pro meo modulo illud tibi communicando ſubſeruirem. Quis enim ad patriam ſinceritate charitatis affectus, in tam fructuoſo labore tamque neceſſario opere non tibi cum gaudio famulari debeat: & pro ſenſus atque virium facultate obſequium præſtare? Iubet lex naturæ inuiolabilis, pro patriæ ſalute etiam animã (ſi opus ſit) ponere, vitamque contemnere. Nec certe iniuriâ, cum in patriæ ſalute ſalus omnium indigenarum conſiſtat. Quo autem pacto pro patriæ incolumitate ille vitam impendit, qui modicum laboris aut miniſterij in illius conſeruatione atque opitulatione ſubire recuſat? Sed heu! in illis ſumus die-*

bus infœliciſſimis editi, quibus non ſolum de Reipublicæ ſalute pauci curant, ſed pro vno illa amico centum hoſtes habet. An non illi patriæ hoſtes ſunt, qui Iuſtitiam in illa regnare nolunt, aut in facinoroſos aliquos exerceri, qui ſibi omnia licere pulchrum exiſtimant, qui non curant vtrum de licito vel de rapto viuant, qui ſingula reipublicæ fundamenta demolliti ſunt, cunctaque publica commoda in priuatam vtilitatem detorſerunt; qui fiſcum, qui ærarium, qui omne argentum & aurum, & numiſma reipublicæ fructuoſum compilaueruut: qui ſubſidia rei frumentariæ, publicaſque munitiones per agriculturæ deſertionem penitus exhauſerunt: qui militarem diſciplinam nullam vigere volunt, qui bella fouent ciuilia vt libere prædari poſsint, qui commune latrocinium de Regno fecerunt, qui omnes fere omnium prouentus exinanierunt, qui vſum atque communionem mercaturarum cum cæteris Nationibus ſuſtulerunt: qui famem denique, ac omnium rerum penuriam incredibilem ipſi calamitoſæ patriæ intulerunt: per hæcque & alia plurima explicatu prolixiora, eneruatam funditus Galliam in has quas oculis cernimus inenarrabiles ærumnas adduxerunt? Quanto autem plures oppreſſores reſpublica habet, pauciореſque protectores, tanto illi inter homines maiorem laudem aſſequuntur, amplioremque apud Deum gloriam merentur, qui illam curant, illam defendunt, illam reparare ſtudent, atque ex ſuis eripere anguſtijs. Hoc autem fieri neceſſe eſt per aliquem magnificum ac potentem Principem, pium, iuſtum, Deum timentem, & publicæ vtilitatis magis quam priuati commodi Zelatorem: quem Deus poſt multa vulnera, multaſque afflictiones, propter enormia peccata inflictas, tandem pauperculæ plebi, ſuam aſsidue clementiam pro remedio imploranti, propitiatus ſuper illam ſolet excitare. Ip-

ſe eſt enim de quo ſcriptum eſt in libro Eccleſiaſtico. In manu Dei poteſtas terræ : & vtilem Rectorem in tempore ſuſcitabit ſuper illam : *qui ſcilicet diſperſa congreget, perdita requirat, abiecta reducat, fracta conſolidet, proſtrata releuet, infirma roboret, vtilia foueat, noxia repellat, qui prophetica exhortatione innouet ſibi nouale, & non ſerat ſuper ſpinas, ne ſimul exortę ſpinæ iuxta Euangelicam parabolam ſemen ſuum ſuffocent: qui ſecundum verba Hieremiæ,* euellat & deſtruat, diſperdat & diſſipet, ædificet & plantet, qui denique malos male perdat, & vineam ſuam locet alijs agricolis, qui reddant fructum temporibus ſuis. *Neque enim poſſunt (vt ait Saluator)* aut de ſpinis vuæ colligi, aut de tribulis ficus. *Ipſe præterea eſt qui non ad exterminium ſed potius ad ſanationem, morumque turpiſsimo lapſu corruptorum reformationem, Regna ſolet ac prouincias varijs acerbitatum anguſtijs, velut quibuſdam amaris poculis ad proſperam valetudinem more periti medici reducere. Vnde in libro Sapientiæ ſcriptum eſt,* Sanabiles fecit nationes orbis terrarum, & non eſt in illis medicamentum exterminij. *Quis autem niſi potentiſsimus Princeps à Deo motus, & inſpiratus, & adiutus, & electus, tantam poſſet vitiorum colluuionem, quanta in hoc Regno verſatur, extirpare, moreſque ſceleratiſsimos in antiquæ virtutis ordinem ex hac tanta confuſione reuocare?* Princeps namque *(vt ait Apoſtolus)* Dei miniſter eſt, vindex in iram ei qui male agit: propter quod & gladium portat. *Qui vero* Dei *miniſter eſt communis debet eſſe perſona non priuata, nec tam ſibi quam alijs viuere: & ad Dei ſimilitudinem, cui cura eſt de omnibus, cunctis qui ſuo ſunt commiſsi regimini (ne forte rempublicam lædant, ne-*

ue priuatæ cupiditatis affectu, aut alia iniquitate aliquatenus ipſam violent) proſpicere: & ſi forſan violauerint pœnas debitas exoluant. Ipſe enim Princeps apud antiquos Romanorum; non tam Dominus quam Pater patriæ vocabatur. Vnde eſt illud ſatyrici. Roma patrem patriæ Ciceronem libera dixit. *Inde etiam eſt quod Brutus primus Conſul paterno magis affectu rempublicam quam proprios filios diligens, filios ipſos in patriæ perniciem aliquid nefárium mollientes iuſsit interfici. Et quis eſt qui non intelligat per publicæ auctoritatis perſonam, iſtam patriæ tutellam libertatiſque reſtitutionem fieri oportere?* Sed *in hoc præcellentiſsimo & vere diuino opere, debent bono Principi qui recto contendit ordine politiam adminiſtrare, priuati quique pro ſuo modo aut pro ſua induſtria, ſcientia, vel potentia ſubſeruire. Neque enim ſine multorum adminiculo Princeps aliquis, quantumlibet ſapiens Regnum aliquod vel prouinciam rite gubernare poterit: ſed ſuæ debet eſſe prudentiæ, non cupidos, non ambitioſos, non alieni appetitores, ſed probos & uirtuoſos, & publicæ proſperitatis amatores in huius rei miniſterium ſibi aſciſcere: quorum ope ac conſiſilio in iacentis atque proſtratæ politiæ ſubleuatione ſalubriter vti valeat. Quod ſi tales aduerſus ſceleratorum copioſam multitudinem pauci forte fuerint, diuino tamen adiutorio ſuffulti illos facile ſuperabunt eius* ſapientiâ quæ (*vt ſcriptũ eſt*) omnem vincit maliciam. *Noli ergo gratiam Dei quæ largius (vt fama prædicat) in te diffuſa eſt negligere: ſed quod cœleſti tibi munere deſiderare donatum eſt, diligentius exequi ſtude.* Si *enim velle tibi datum, vigilantius ad effectum perducere labores; qui velle dedit, non ſolum poſſe ſed etiam perficere donabit, Apoſtolica hoc confirmante ſententia.* Ipſe eſt qui operatur in nobis & velle &

perficere *pro bona voluntate. Vale Princeps benigniſsime, & periclitanti Regno (ne prorſus corruat) manu auxiliatrice obiecta, mature auxilium ferre accelera.*

ARGVMENTVM LIBRI.

1. CAuſa huius libelli nuncupandi Duci Burgundiæ.
2. Iuſtitiam & Clementiam regias eſſe virtutes.
3. Iuſtitiam omnes alias virtutes in ſe complecti: atque vnicam & ſolam eſſe regulam Reipublicæ melius regendæ.
4. Iuſtitiam Heſpero & Soli ſimilem.
5. Ciuitates & Regna, abſque Iuſtitiâ, pura puta eſſe latrocinia.
6. Gallorum arma, olim cunctis Gentibus admirationi & terrori fuiſſe.
7. Deteſtanda bellorum ciuilium barbaries & impietas.
8. Excidium Regni Gallicani, à ſolo Iuſtitiæ & Religionis contemptu oriri.
9. Agricolas, totius Reipublicæ alumnos, ſummo cum ſcelere & impietate expilari a militibus.
10. Carolo VI. regnante, quo ad executionem, plus Iuſtitiæ in Inferno quàm in Galliarum Regno extitiſſe.
11. Sine Iuſtitia fruſtra pacem ſperari.
12. Cauſæ certiſſimæ excidij Regni Gallicani.
13. Iuſtitiæ & Magiſtratuum ſordidiſſima vænalitas.
41. Contemptus & violatio Religionis.
15. Prodigalitas, vanitas, luxus, laſciuiæ, & choreæ nocturnæ.
16. De regendis Galliæ ordinibus.
17. Icon optimi Principis.
18. Cur inſtauratio publici ſtatus à militaris diſciplinæ conſtitutione auſpicanda ſit.
19. Regum Conſiliarij qui & quales,

20. Daniſtas & Publicanos velut communes Reipublicæ peſtes procul arcendos.
21. Decrementum intrinſecæ bonitatis materiæ monetarum, multo eſſe damnoſius Regi & ditioribus quam plebi.
22. Numiſma ad Iuſtitiæ commutatiuæ & mercaturæ vſum inuentum eſſe, & eapropter ex precioſo metallo cudi debere.
23. Concluſio totius operis.

MAGISTRI NICOLAI DE CLAMENGIIS, DOCTORIS THEOLOGI PARISIENSIS, DE lapſu & reparatione Iuſtitiæ.

1 IAMDVDVM Princeps illuſtris, ante annos ferme biſſenos ſedula mecū mente volués, quam egregie vnūquemque Principē virtus Clementiæ præclara cōdecoret, ad Ludouicū Ducem Aquitanorum in puerili adhuc ætate conſtitutum, nonnulla ad eandem virtutem teneris adhuc illius ſenſibus imprimendam cohortatoria, ſui præceptoris admonitu, perſcripſi: ſperans ex puerilibus indiciis, nōnunquam fallacibus, illum ad Regni huius tutelam atque reformationem, operam vigilantiorem impenſurum: cuius ſceptri ſucceſſione (ſi vita ſibi longeuior obueniſſet) potiturus ſperabatur: pollicitus etiam de Iuſtitia me poſterius ad eundem ſcripturum, ſi annos vitæ paulo longiores attigiſſet. Sed quoniam propter multa non infœliciter ſuperis ille conceſſit ab oris, & inter alia, ne tam miſerabilē patriæ ſuæ cerneret (nolo dicere procuraret) vaſtitatem; quod ad illum de Iuſtitiæ ſermone nequaquam peregi, ad tuā (ſi Dominus aſpirare dignabitur) ſerenitatem, nunc exequi atque perficere inſtitui: multis quidem nec iniuſtis ad hoc me cauſis impellentibus.

2 Prima, quia non minus Iuſtitia quam Clementia cuiuis eſt Principi neceſſaria: imo hæ duæ virtutes excellentiſſimæ, in quolibet debent eſſe Principe

coniunctæ: vt Clementiæ remiſſionem Iuſtitia excitet: & Iuſtitiæ rigiditatem Clementia temperet: ne Clementia abſque rectitudine Iuſtitiæ, non miſericordia ſed miſeria ſit: Iuſtitia vero abſque Clementiæ mitigatione, non tam Iuſtitia dici debeat quam rigida atque immitis ſeueritas: ſecundum illud antiquum Comici prouerbium. *ſummum ius*, hoc eſt ſummus Iuſtitiæ rigor, *ſumma ſępe iniuria eſt*. Proinde has duas virtutes tam in Deo, qui eſt rex regum, quam in inferioribus regibus atque principibus, conſueuit ſcriptura cõnectere. In Deo, vt eſt illud pſalmi, *Miſericordiam & iudicium cantabo tibi*. In aliis, vt apud Salomonem, *Miſericordia & veritas cuſtodiunt Regem*. Quod vtique de veritate Iuſtitiæ intelligendum eſt, ſicut & illud alterum pſalmi, *Miſericordia & veritas obuiauerunt ſibi*. Propterea autem ſibi obuiare dicũtur hæ duæ virtutes, quoniam mutuo ſe debent reſpicere, & altera ad alteram, ne limites ſuos excedat, quaſi occurrendo procedere. Quid eſt enim obuiare, niſi obuiam ire atque obſiſtere? Altera ratio quæ me coegit ad Iuſtitiæ ſermonem hoc tempore ſuſcipiendum fuit, quia huius maximæ virtutis inopia Regnũ hoc inſigne hactenus & præ cæteris regnis Catholicis gloriâ ac laude celebratum, non ſine cordis amaritudine perire & conteri video. Cauſa autem quæ meum animum præcipue mouit ad tuæ de hac materia magnificentiæ amplitudinem ſcribendum, ea fuit, quoniam ad tuam potiſſimũ ſpectat prouidentiam, tantis patriæ periculis, incommodiſque occurrere: qui iam pene inter Regni Principes ſolus ſuperes, qui tantis poſſis patriæ mederi calamitatibus: aliis quidem morte abſorptis, aliis infirmitate atque

diuino iudicio præpeditis, nonnullis bellorum clade in captiuitatē abductis, pleriſque etiam veneno peſtiferæ diuiſionis infectis. Tu vnus es in quem bonorum omnium pacemque & Iuſtitiam ſitientium vota ſuſpirant: a quo remedium atque auxilium proſtratis ac pene perditis regni rebus expectant. Tu inquā vnus, qui virtute ac potētia, voluntate præterea, feruentique (vt rumor habet) deſiderio, ad huius regni nobiliſſimi, ſed proh dolor! deſolatiſſimi ac perditiſſimi reparationem a Deo electus es, a Deo vocatus, a Deo in lumen productus. Tu lumen atque gloria Francorum regiæ, Tu regni decus & tutela, ſalus, ſpes, atque ſtabile fulcimentum. Exurge ergo & accingere ad hoc opus glorioſiſſimum tibi debitum, tibi a Deo conſeruatum atque delegatum, a te per Regni beniuolos ac pacificos vniuerſos expectatum. Nec aliquis tibi obſiſtat timor diffidentiæ, qui a tā præclaro incœpto te retardet atque reuocet. Aderit tibi imprimis adiutor Chriſtus, qui te ad hoc ſacratiſſimum negotium elegit atque excitauit: Aderunt fideles & probi patriæ zelatores atque amatores: qui bona, labores, perſonas, vitam denique gaudebunt propriam in huius rei miniſterio impendere. His itaque cauſis incitatus, quamuis ſatis exigua ſint quæ aut ingenio, aut doctrina excogitare valeo, in tanta tamen patriæ deſolatione, cum feriatum diutius ſtilum propter iniquitatem temporum habuiſſem, non me vlterius arbitratꝰ ſum inerti oportere ocio marceſcere: quin potius ſoli natalis amore aſſiduis me fodiente ſtimulis, ad tuam clariſſimam indolem (de qua & multa laude digna iam prædicari, & ampliora ſperari lætiſſimus audio) non

ſum veritus quæ de Iuſtitia pro rerum ac temporum qualitate concepiſſem perſcribere.

3 Vt autem ſolidiori fundamento ſermo noſter innitatur, a definitione, ſi placet, exordium ſumamus, quæ & vniuſcuiuſque rei eſſentiam maxime indicat: & partes ac proprietates, vires atque differētias quadam implicita breuitate in ſe complectitur. Definiũt legiſperiti Iuſtitiam eſſe virtutem, quâ *honeſte viuitur, nemo leditur, & ius ſuum cuique tribuitur.* Sub honeſti autem nomine, tradunt Stoici omne bonum animi, hoc eſt, omnem moralem virtutem debere compræhendi. Tria ſiquidem dicunt philoſophi eſſe bonorum genera, honeſtum videlicet, quod eſt bonum mētis, ſiue bonum virtutis: delectabile, quod magis ad corpus referunt: & vtile quod in temporalibus dicunt facultatibus eſſe conſtitutum, quibus ad vitæ ſubſidium homines vtuntur. Cum igitur in honeſto omnis virtus contineatur, Iuſtitia autem faciat hominem honeſte viuere, liquet aperte in Iuſtitia omnem virtutem contineri: quod ipſi etiam profitētur philoſophi, qui Iuſtitiam manifeſte aſtruunt omnē eſſe virtutem: qua in re Sancti etiam conſentiunt doctores: dicit namque Auguſtinus nomine Iuſtitiæ omne bonum exprimi, cuius duas dicit partes eſſe, *declinare ſcilicet a malo, & facere bonum.* Si autem Philoſophorum, ſanctorumq; aſſertione, Iuſtitia eſt omnis virtus, quia omnem in ſe virtutem originaliter includit, quis ſublata Iuſtitia non videat conſequens eſſe omnem tolli virtutem? Subducto quippe fundamento, neceſſe eſt totam ſtructuram ſuperpoſitam corruere. Vnde autem omnis virtus ſublata eſt, ſola illic oportet vitia relinqui: vno etenim con-

trariorum eiecto, continuo in locum illius alterum introit: Nam natura contrariorum eſt non poſſe ſimul conſiſtere: ſed altero validiori ingruēte, alterum neceſſe eſt imbecillius aut opprimi, & extingui, aut ſaltem cedere. Porro, vbi ſola vitia omni prorſus pulſa virtute libero dominantur arbitrio, quid illic niſi ruina ac præcipitium reſtat? Solent vitia cæca eſſe, ſupra modumque violenta: præſertim quando ſuo ſunt arbitrio relicta, & nullo virtutum reguntur fręno, nullaque moderatione. Cæca autem ac violenta facile ſuo impetu in præcipitium labi quis neſciat? Recte ergo de talibus vitiis nullo fræno reſiſtentiæ aut vindictæ coercitis dixit Satyricus, *Omne in præcipiti vitium ſtetit.* Iſta autem (niſi fallor) cauſa eſt ruinæ ac proſtrationis huius Regni præclariſſimi: quoniam inde prorſus exulat Iuſtitia, & cæteræ ex conſequentia cum illa virtutes indiuiduo ſibi comitatu adhærētes: quibus inde abiectis, quis mirari debeat, cum præcipitibus vitiis libero imperio dominātibus, cuncta illic in ruinam ac præcipitium eſſe deuoluta? Nam cum omnis politiæ regendæ atque continendæ forma, regula, radix, ratio, modus, atque firmamentum in Iuſtitia conſiſtat, quid eſt prouinciam aliquam abſque Iuſtitia velle gubernare, niſi ſine ſenſu velle ſapere, ſine oculis cernere, ſine fundamento ædificare, ſine radice germinare, ſine vinculo colligare, ſine pedibus ambulare, ſine Solis ſplēdore diem eſſe dicere?

4 Solem è mundo illos tollere dixit Cicero qui amicitiam tollunt: quod nobis longe congruentius de Iuſtitia dicere licet: Nuſquam enim amicitiam in ſcripturis Solis nomine legimus appellatam, quem-

admodum de Iuſtitia ſcriptum eſt. *Orietur vobis timẽtibus nomen meum Sol Iuſtitiæ.* Ipſi quoque de ſe ipſis in libro Sapientiæ impij hæc verba loquuntur. *Errauimus a via veritatis, & Iuſtitiæ lumen non luxit nobis: & Sol intelligentiæ non eſt ortus nobis.* Quibus ex vèrbis aperte datur intelligi, ex errore fidei iuſtitię que deſertione mentis cæcitatem oriri, ipſamque obtenebrari intelligentiam: quoniam ſcriptum eſt, *Niſi credideritis, non intelligetis.* Merito itaque Ariſtoteles cum Iuſtitiam præ ceteris extolleret virtutibus, præclariſſimã illam eſſe atque admirabilem dixit, neque heſperum aut luciferum ita admirabilem eſſe. Si autem neque heſperus neque lucifer (qui fulgentiſſima toto cœlo ſunt ſidera) illius ſplendori æquantur, quid ſupereſt, niſi vt Soli recte comparetur? Si autem inter cæteras virtutes quibus regna ac prouincias regi neceſſe eſt, illum tenet locum Iuſtitia quem Sol inter ſidera, ſicut Solem è mundo tollere, eſt ipſum orbem vniuerſum deſtruere (cuius lumine & calore cuncta & gignuntur & viuunt) ita Iuſtitiam è prouincia ſubducere, eſt ipſam omnino prouinciam in excidium ruinamque deducere, cuius ſcilicet æquitate ac rectitudine omnem neceſſe eſt politiam conſeruari & conſiſtere, in ſuiſque ordinibus inuicem conglutinari, atque connecti, imò vnum fieri.

5 Ciuitas quippe ſecundum Auguſtinũ, nihil aliud eſt quam ciuium vnitas, fidei ac Iuſtitiæ communione ſociata. Et ſicut rurſus idem doctor ait, *remota Iuſtitia, quid ſunt regna niſi magna latrocinia?* Quæ quam vera ſit ſententia, non nos oportet aliunde inueſtigare, ſatis domi habemus vnde hoc diſcamus. Quid enim aliud quam magnum latrocinium illa patria

eſt, in qua non modo Principi licet a ſubditis pro arbitrio quæ voluerit extorquere, ſed latronibus quibuſlibet ac prædatoribus, licet paſſim ab agricolis & mercatoribus atque viris eccleſiaſticis (ſi extra vrbes atque oppida exierint) aurum, argentum, veſtem, merces, equos, boues, aſinos, iumenta, & bona quælibet eripere: in qua non alia ſtipendia quam libertatem rapiendi plerumque militantes habent: in qua nullus audet colonus aut rure, aut domi verſari: in qua nec indigena, nec alienigena mercator aliquid de loco in locum exportare valet: in qua nullus vrbe egredi, aut ad negotia aliqua vel commercia proficiſci: in qua deſerta omnino agricultura, vrbes fame ac penuria conficiuntur: in qua de nullis latronibus ac malefactoribus ſupplicium ſumitur: ſed illi de innocentibus pro voluntatis arbitrio ſupplicia ſumũt: in qua latrunculi regnant, atque principantur: & regnum omne ex voto gubernant: in qua illi qui militant cum hoſte nequaquam congredi, ſed ciues tantum atque populares ſpoliare didicerunt: in qua nulla lex, nullus ordo, nulla Iuſtitiæ ſcintilla viget: in qua denique & totũ prope iam periit; & nihil aliunde per mercimonia, propter rapinas & nummiſma & furorem belli ciuilis, intro ferri poteſt? Cum autem in omni gente, & ſecta, & natione, præcipua ſemper & ſingulari laude Iuſtitia commendata ſit: nec noſtræ laudationis anguſtia, tantis titulis illuſtrata indigeat: omittamus iam de eius laude loqui, quam nulla vnquam poterit lingua debitis ex condigno amplificare præconiis: & ad illius magis in ſpecie deplorandam abſentiam veniamus.

6 Sicut enim prioribus ſæculis & felicioribus annis

per illius cultum atque obſeruantiam venerunt nobis omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honeſtas per manus illius, regnique Gallorum gloria vbique per orbem terrarum diffuſa eſt: ita profecto per illius fugam atque exilium, omnia nos mala inuaſerunt, vniuerſaque apprehēderunt incommoda. Nam (vt antiquiora repetam) vbi eſt illa militaris Gallorum virtus, quæ authore Bréno Senonum Duce Romam cœpit, Romam incédit, & victricibus vbique armis vſque in Græciam profecta ibi conſedit, atque ex Gallorum nomine Gallogræciam nuncupauit? Vbi illi præterea ſunt glorioſi quondam ac triumphatores noſtri exercitus: qui tot in Italia præclaras vrbes, Veronam, Brixiam, Ticinum, Senas, Placentiam, atque Mediolanum condiderunt: qui Liguriam Æmiliamque, & alias quaſdam illic regiones ſuæ vocabulo patriæ Galliam nominauerunt ciſalpinam? Quo ille abierunt acies inuictæ, de quibus Iuſtinus loquitur Trogi breuiator: quod tantus terror Gallici nominis cunctos reges ac nationes ciuitateſque inuaſerat, vt audito illorum aduentu ac rebus geſtis, ad illos adhuc longe poſitos legatos pro pace mitterent: ſe pariter ac ſua dedentes, quaſque illi impoſuiſſent conditiones ſubituri? Quæ poſtremo ſors iniqua rerum vel temporum, illas ſtrenuas Gallis abſtulit legiones fidei defenſatrices, quæ ductore Carolo magno Agarenos Hiſpaniis expulerunt; quæ ſæpe ſub aliis Regibus ponto traiecto glorioſos ex infidelibus triumphos domum retulerūt: quæ totiens Romanos Præſules ſuis per tyrannidem ſedibus eiectos, tyrannis in illas reſtituerūt expulſis? Solebant & pridem & nuper, & noſtris etiam recen-

tiſſime

tiſſime diebus exteræ quæq; nationes afflictæ, aut ab inſidiantibus oppreſſæ hoſtibus, ad Francorum pro ſubſidio confugere regiam, cuius nomen celeberrimum cunctis erat formidabile. Quis neſcit Imperatorem Romanorum nouiſſimum, ad Carolum V. veniſſe pro ineundis contrahendiſque fœderibus? Nonne præterea Imperatorem Græcorum nuper Pariſius vidimus opem atque auxilium implorantem? Nonne Hunnos ac Pannonios paulo ante idem flagitantes intueri licuit? Quid de Hiſpanis loquar, quibus noſtra memoria, interfecto Regni occupatore, qui fœdus cum infidelibus inierat, Regnũ noſtri reſtituerunt? Quid Cyprios, Siculos, & Neapolitanos, quid Genuenſes, Mantuanos, Florentinos, Lucanos, Piſanos, atque Patauinos, denique quid Venetos Italorum nunc potentiſſimos: imo quid Romanos rerum atque orbis olim dominos, me commemorare oportet: quos ad fœdera nobiſcum ferienda impetrãdaſque ſuppetias legatos quotidie mittere videbamus? Tanti erat Gallicum nomen, tanti fama, tanti formido, vbique ſe *Gallica tantis attollebat gloria rebus*: vt niſi ſub alas Francorum confugiſſent, non ſe tutos arbitrarentur: Vbi vero noſtri fœderis vel amiciciæ eſſent vmbra protecti, quieti prorſus ac ſecuri eſſent. Denique ante aliquot tempora Pontifex Apoſtolicus cum tota Curia Romana tyrannide exagitatus Italorum, ſedem in Galliis elegit: nuſquam alibi tutum exiſtimans habere perfugium: cui vtinam baculus arundineus nequaquam facta fuiſſet potentia Gallicana, ſicut longe antea futurum eſſe fuerat prædictum. Quæ res igitur ex illa inſigni gloria qua hactenus ante cæteras re-

giones Francia floruit, in has illam repente redegit miſerias? Niſi quia a priſcis degenerans virtutibus, que tam præcellenti illam honore illuſtrabant, ex ſtrenuitate in ignauiam, ex cura in curiam, ex honeſtate in ignominiam, ex grauitate & conſtantia in diſſolutam leuitatem, ex temperantia in luxuriam, ex fortitudine in præſumptionem, ex liberalitate in cupiditatem rapinarumque libertatem, ex frugalitate in prodigalitatem, ex fide in perfidiam, ex pietate in impietatem, ex ordine in confuſionem, ex ſolida gloria in vanam gloriam atque ſuperbiam: ex zelo publicæ vtilitatis in priuatam commoditatem, ex correctione & diſciplina in generalem impunitatē, maleficiorum omniūq; licentiam: & (vt omnia ſub vno verbo ad rem noſtram pertinente abſoluam) ex Iuſtitia in iniuſtitiam, in omnemque iniquitatem; non dexteræ excelſi mutatione, ſed ſiniſtræ potius Herebi immutatione conuerſa eſt: ſicque tandem priſcis virtutibus abolitis, vitiiſq; ad ſummū perductis, neque vltra ſe ferentibus furiis inſtigata Tartareis, in ſe per ciuilem furorem manus conuertit. Id namque eſſe conſueuit extremum malorum & cæteris omnibus magis capitale ac deſolatorium, in quod lapſæ ad vitia politiæ ſolent deuenire: quæ res, quantis Regnum cladibus intra pauciſſimos annos attriuerit, nihil opus eſt meo calamo explicari, cum res ſatis per ſemetipſam ſe explicet.

7 Quis enim niſi ſenſu orbatus, non luce clarius videat, quamtam poſt duodecim annos, quibus funeſta hæc bella incœperunt, patriæ vniuerſæ perniciem, quantam deſolationem ciuilis rabies iſta importauit? Habent Itali in cunctis pene ſuis ciuitatibus ac

municipiis ciuilem inter ſe diſſentionem: ſed vt res ipſa euidenter comprobat, plus iacturæ duodecim annis noſtræ infelici patriæ intulimus, quam illi toti Italiæ in trecentis annis: adeo experti opifices ipſi in noſtro fuimus exitio. Vnde autem ratio orta eſt diuerſitatis, niſi quod Itali partis vtriuſque ad ſuæ ſemper reipublicæ conſeruationem aciē mentis intentam habent, in cuius ſalute ſuam non dubitant ſalutem eſſe repoſitam: noſtri autem ex latrunculis inſtructi exercitus, nihil præter rapinas, & prædas, & patriæ exterminium meditantur: de quorum intolerādis iniquitatibus, quoniam ad id ſermo peruenit, & ex hac radice tota conſurgit patriæ depopulatio, tempus eſt magis in particulari aliquid dicere. Vt autem ab altiori ordiamur: cum fides ſit totius Chriſtianæ Religionis, totius Iuſtitiæ, ac virtutis, imo potius totius boni humani radix, ac fundamentum: quo ille pacto deputandus eſt Chriſtianus, qui fidem non habet? Clamat Propheta, *Iuſtus ex fide viuit*, Clamat Apoſtolus, *iuſtificati ex fide pacem habeamus ad Deum.* Quam igitur ille vitam, quam pacem ad Deum, quam Iuſtitiæ particulam habere cenſendus eſt qui fidem non habet? Quam vero ille fidem habet, qui contra Deum bellum gerit, qui Eccleſiam ſponſam eius infideli deterior violat, prophanat, polluit, perfringit, atque ſpoliat? Qui ſuorum (inquit Apoſtolus) *& maxime domeſticorum curam non habet, fidem negauit & eſt infideli deterior.* Si autem ille fidem negauit & eſt infideli deterior, qui domeſticorum curam non habet, quid de illis ſentiendum eſt, qui non modo domeſticos patriæ ſuæ, quorum tutelæ ſunt deputati, ſed ſacroſanctum Dei taberna-

culum, enormiter adeo vexant & dehoneſtāt? Deteriores profecto non ſolū gētilibus, verumetiā dæmonibus iſtos ſacrilegos dixerim Eccleſiarum violatores: cum aperte de dæmonibus ſcriptura dicat, *dæmones credunt & contremiſcunt.* Si enim quamtamlibet credulitatis ſcintillam haberent, talia nefanda perpetrare proculdubio contremiſcerent ac perhorreſcerent: quæ cuiuſlibet fidelis animus non ſolū oculis cernere, ſed etiam relatu audire perhorreſcit. Solebant bona agreſtium in baſilicis recondita (etiam inter acerbiſſimos hoſtes igne ac ferro patriam vaſtantes) eſſe tutiora, quam quæ in firmiſſimis erant collocata caſtellis: quoniam nulli erant hoſtes adeo efferati, vt non a ſanctuario Dei manus impias abſtinerent. Nunc autem apud noſtros domeſticos ac familiares inimicos, quibus nulla eſt peſtis capitalior, nullo Deus priuilegio, nulla domus ſibi ſacrata vlla gaudet exemptione: ſed paſſim in ſacraria quæque irrumpere ac prædari non formidant. Taceo de ſacerdotibus ac miniſtris Eccleſiarū, quos ſi apprehendere poſſint, diuerſis atque horribilibus modis excruciant: grauius illis illudentes quam Tartaris aut Barbaris aliis (ſi quid haberent humanitatis) illudere deberent. Sed qui nefaria crudelitate humanitatem exuerunt, & feris ſunt immanibus truculentiores, quid mirum eſt ſi dæmonibus merito comparentur: quibus etiam in credulitate deteriores illos eſſe monſtrauimus? Qua igitur fronte, qua fiducia, immo certe qua impudentia nos Chriſtianiſſimos volumus appellari, qui talia paſſim atque impune in ſacratis Deo altaribus, dedicatiſque baſilicis per ſacrilegas impiorum manus fieri toleramus:

qualia nullus vnquam paganiſmus de ſuis idolis ac ſimulachris tolerauit? Ita ne cæteræ nationes faciũt, Chriſti nomine & charactere inſignitæ? Ita nè Angli, ita Germani, ita Barbari quique populi Chriſti nomine titulati? Sed quid de Chriſtianis aliis loquor nationibus: cum Mahometicæ ſuperſtitionis prophani ſectatores, ſuæ Meſquiæ violatores tanta dicantur inſectari ſeueritate?

8 Qualem autem de victoria ſpem, de hoſtium oppreſſione fiduciam poſſumus habere, talibus furum manipulis, talibuſque latronum turmis Sathanæ vtique miniſtris inſtructi? O tempora, ô mores, ô fœda rerum mutatio: qui hactenus ante cæteras nationes Chriſtianas, libertatis Eccleſiaſticæ patroni atque defenſores, etſi quis illam oppreſſiſſet vltores eſſe ſolebamus, nũc præ cæteris oppugnatores ac perſecutores ſumus? Et mirari debet aliquis, ſi Chriſti deſertores Chriſtus deſeruit? quo deſerente cuncta ſuper nos violenti torrentis impetu vndique mala inundauerunt, vt a planta pedis vſque ad ſummum verticem vix aliqua ſit in nobis ſanitas relicta. Vnde enim Regem noſtrum, ſuapte natura clemẽtiſſimum & optimum, ita flagellatum credimus? Vnde tantam maſculinam eius progeniem morte extinctam, vt iam prope neceſſarium ſit ad externos iura coronæ deuolui? Vnde noſtrorum exercituum quondam inuictorum coram exiguis hoſtium copiis fuga turpis & contritio. Vnde omnium fere noſtrorum Principum, tantæque nobilitatis, aut mors, aut ignominioſa captiuitas? Vnde præterea ab alienis tanta Regni occupatio? Vnde a noſtris cohortibus Regni vniuerſi per rapinas horrenda atque inaudita depo-

pulatio? Vnde poſtremo, vt fontem malorum aperiam, bella inter nos tam crudelia, tam impia, tamque infauſta: niſi propter execrabilia deoque vlterius importabilia quæ inter nos regnant ſcelera: quæ neceſſe eſt vt nos mature, niſi aliter obſiſtamus, in capitale atque irreparabile demergant exitium. Nam vt Deo ſuas atque Eccleſiæ ſuæ iniurias digno perfidorum plectandas ſupplicio relinquamus, quando nō eſt alius qui illas vindicet, quas nimirum & acerbe ſatis (ſi oculos ad cognoſcendum haberemus) iam vindicat, & acerbius haud dubie vindicabit. Quis tam hebes, tam cæcus, tam acie mẽtis obtuſus, vt miſerabilem non perſpiciat patriæ deſolationem: non tam quidem per hoſtes ipſos, quam per armiferos noſtros inuectam: qui non hoſtes expugnare ſed ciues potius & domeſticos, quos tueri ac defendere debuerant, non ſolum omnibus nudare vitę inopis adminiculis, verum etiam inhumanis afficere cruciatibus didicerunt? Licet ergo patriam vniuerſam aſpicere lamentabiliter deſertam, in ſolitudinemque redactam, quam nemo omnino calcat niſi latrones ac prædones domeſtici: quibus toti agri pleni ſunt, & qui illam pro arbitrio abſque vlla reſiſtentia pacifice tenent atque proſternunt, & deterius illam affligunt, quam ab vllis vnquam fuerit hoſtibus afflicta.

9 Agreſtes autem pauperculi omnibus exuti ſubſtantiis, ad ſyluarum latibula confugiunt, ab hominumque conſortio (ſi homines dici merentur) ad ferarum habitacula atque conſortia demigrant: illic vitam in ſyluis inter deſerta ferarum luſtra, domoſque trahũt: victum infelicem, *baccas, lapidoſaque corna*

Dant rami, & vulſis paſcunt radicibus herbæ: quibus niſi ſuſtentarétur alimentis, fame erant atque inedia perituri. Quorum etiam imaginem calamitatis ſanctus vir Iob eleganter expreſſit. *Egeſtate*, inquit, *& fame ſteriles, & calamitate ac miſeria ſquallentes: rodebant in ſolitudine & mandebant herbas & arborum cortices: & radix iuniperorum erat cibus illorum. In deſertis habitabant torrentium, & in cauernis terræ vel ſuper glaream.* Deplorat Virgilius in Georgicis per bella ciuilia agriculturę ceſſationem. *non*, inquit, *vllus aratro Dignus honos, ſquallent abductis arua colonis, Et curuæ rigidum falces conflantur in enſem.* Sed ſi noſtra vidiſſet tempora, multa alia & longe magis lugubria ſuæ addere potuiſſet deplorationi. Scribit Apoſtolus ad Timotheum, *laborantem agricolam oportet primum de fructibus percipere*: Sed heu! hodierna tempeſtate, nec primus ille nec vltimus in ſuis laboribus aliquid percipit, cum totum raptores auferant vel diſſipent. Quid autem poteſt iniquius eſſe, quam illos quorum opera ac labore omne genus hominum viuit, non ſaltem *in ſudore vultus ſui veſci pane ſuo?* Et hanc tamen iniquitatē nos facimus & tolleramus: qui innocentiſſimos hominum agricolas, per quos (vt ait Virgilius) *Iuſtitia excedens terris extrema fecit veſtigia*: tota die, tota nocte, imo toto aſſidue anno pro noſtra vita iugi labore deſudantes, ſua vita, ſuo victu, ſua fructus particula, cuncta illis eripiendo defraudamus: nec tantum vita & fructu defraudamus, verū inſuper rebus omnibus exhauſtos ad pecuniæ traditionem diris tormentis adigimus: quibus nec cibarius eſt panis pro liberorū educatione relictus. Hæccine eſt illa Iuſtitia ſuperius deſcripta, quæ docet *neminem ledere*, & *ius ſuum vni-*

cuique tribuere? Hæccine eſt antiqua virtus, laus, probitas, & religio, culturaque Iuſtitiæ, quibus ſunt noſtri maiores præ cęteris terrarum populis Chriſtianiſſimi appellati?

10 Vnum ſane primo occurſu ſatis mirabile audebo dicere, quod verum ne an falſum ſit ratio demõſtrabit. Dico plane mihi videri plus Iuſtitiæ, quantum ad executionem attinet, in Inferno eſſe quã in Regno iſto: dico ſignãter quãtum ad executionem: Nam quantum ad virtutis habitum, ſciò illic nullum eſſe iuſtum. Cauſam dicti accipe, Primo quidem in Inferno nullus innocens aut iuſtus læditur, quia nullus illic eſt: Deinde nullus etiam iniuſtus læditur, quoniam quilibet talis ibi iuſte punitur: nec ſolùm iuſte ſed etiam clementer punitur: quia ſemper citra culpæ condignitatem. Hæc autem eſt vera Iuſtitia ſecundum prælibatam diffinitionem, qua nemò leditur, & ſecundum ſuum meritum vel demeritum vnicuique rependitur. At cõtra in Regno Franciæ, hoc tempore paucis exceptis, quis eſt qui nõ læditur? Læditur imprimis Deus, læduntur ſancti eius, quibus non honor, non timor, non cultus aut reuerentia exhibetur, quæ illis tam iure diuino quam humano debentur. In quo etiam fides Catholica inexpiabiliter læditur, cum nulla in blaſphematores ſit vltionis executio. Læduntur grauiter Eccleſiæ & Eccleſiaſticæ perſonæ ſecũdum ſupra memorata: Læduntur ineffabiliter innocentes viri agrorum cultores, qui omnibus omnino nudantur facultatibus: in quorum læſione ceteri hominum ordines ampliſſime læduntur, cum de illorum labore omnes vitam habeant. Deſtructa autem agricultura neceſſe eſt

mature deſtrui totam politiam, fameque, & inedia cõſumi: quod iam fere factum cernimus, nec tamen ad remedii prouiſionem clauſos oculos aperimus. Quid enim eſt terræ cultores ita prorſus ad exterminium deducere, niſi politiæ ipſius pedes quibus ſuſtentatur, ſuccidere? Succiſis autem patriæ pedibus, quis non aduertat eſſe neceſſarium illam corruere? Lęditur præterea non mediocriter tota reſpublica in numiſmate : quod tale eſt (vt nihil aliud nunc de illo dicam) vt per ipſum omnem communionem mercimoniorum & commutatiuæ Iuſtitiæ cum vicinis regionibus prorſus amiſerimus, ſine quo nulla diu poteſt regio conſiſtere. Læditur vnuſquiſque in ſuis prouentibus, qui vix ad dimidium redeunt conſueti emolumenti: tum propter culturæ vacationem, tum propter ipſum numiſma. Lædũtut Iudices ac Præſides prouinciarum, qui propter libertatem maleficiorum, vindictam in ſceleratos exercere non audent. Læduntur denique Principes ipſi qui ſua ſicut & cæteri iura perdunt, patriamque ante oculos ſuos perdi vident, atque periclitari. Sic itaque conſtanti & irrefragabili certitudine ratum eſſe videtur, quod alienum a veritate prima facie videbatur. In hac autem triſtiſſima temporum caligine, in hoc totius iniquitatis inundante diluuio, in hac omnium vitiorum, ſcelerum, flagitiorumque inaudita confuſione, te, infelix & calamitoſa patria, Dux illuſtris ac pręclariſſime, auxiliatorẽ remediique miniſtrum expectat. Tu præſidium, tu refugium, tu ſalutis poſt Saluatorem ſpes ampliſſima es. Ad hanc rem te debes arbitrari a Deo electum, in lucem editum, & poſt tot aliorũ funera Gallorũ Principũ, in vita cõſeruatum.

11 Tantam igitur iniquitatis abyſſum ex Regno iſto maturius extermina, Iuſtitiamque ab exilio cum nobili ſororũ cœtu reuocare ſtude. Ipſa eſt enim (teſte Salomone) quæ regnorum ſolium firmat, & ſine qua ſolidum nequit ſtabileque permanere. Quod ſi antea non credidimus, nunc ſaltem tam perſpicua rerum experientia credere diſcamus. Nam (proh Dei atque hominum fidem!) cum tam extremam regni proſtrationem breuiſſimo dierum lapſu videamus, quid futurum ſperamus, ſi torrens iniuſtitiæ adeo violentus diutius inualuerit, vt hucuſque ſemper inualuit? Secum, mihi crede vniuerſa in ruinam trahet atque præcipitabit, nec remedii tũc locus erit, quando vitiorum dira vorago cuncta abſorbuerit. Sic ſolent regna deperire, ſic imperia & politiæ, ſacris teſtantibus eloquiis, de gente in gẽtem transferri. Nam de pace quidẽ incõcuſſa quid loqui oportet: quamdiu tanta iniuſtitiæ pernicies inter nos verſabitur? cũ pax vera abſque Iuſtitia haberi nõ poſſit, aut diu durare, ſecundum illud propheticum, *Erit opus Iuſtitiæ pax*. Ad quod etiam illa vox pertinet Pſalmiſtæ. *Iuſtitia & pax oſculatæ ſunt*: Quæ enim ſeſe oſculantur, neceſſe eſt inuicem coniungi ſibique cohęrere: quoniam rerũ natura nequaquam patitur, vt res diſtantes ac ſeparatæ ſibi oſcula libent. Quare aut ambas haberi neceſſe eſt, aut ambas amitti, cum ſemper indiſſolubili nexu ſibi coniungãtur. Inde eſt quod tantas concordiæ pactiones irritas vidimus, tanta fœdera inania, quoniam ſine viſco tenaci Iuſtitiæ conglutinata erant: ideo ſolido vinculo ſibi longius cohęrere nequaquam poterant. Quando partes ambas vno animo, vna voluntate, ac ſtudio ad exulantis Iu-

ſtitiæ reuocationem atque reformationem aſpirare videbo, tunc de ſolidæ pacis adeptione firmam fiduciam habebo: quam neceſſe eſt cum ſorore primogenita vel pariter exulare, vel pariter ab exilio liberari. Nam conſortium quidem latronum atque prædatorum, quo inuicem conſociantur, vt liberius prædentur atque efficacius noceant, nequaquam pacem dixerim, ſed apto magis vocabulo conſpirationem. Quoniam enim propter Iuſtitiæ proſcriptionem his maxime ſumus bellorũ cladibus tam externis quam domeſticis afflicti: ſi riuum pacis arefactum ad nos refluere volumus, oportet vt fontem Iuſtitiæ obturatum, ex quo riuus pacis oritur, prius aperiamus: quod ſatis Dominus per Eſaiam nobis inſinuat, *Vtinam* (inquit) *attendiſſes mandata mea: facta fuiſſet quaſi flumen pax tua: & Iuſtitia tua ſicut gurgites maris.* Vbi vides pacem fluuium, Iuſtitiam autem maris conferri gurgitibus: vt exinde diſcamus, quod ſicut ex maris gurgitibus flumina oriuntur, ita oportet ex Iuſtitiæ fonte pacem velut riuum fluere. Quid in rerum natura magis perenne, magiſque indeficiens quam flumina aut maris gurgites? Nunquam flumina a ſuo curſu deſiſtunt, neque aliquãdo maris gurgites (qui ſunt loca in mari profundiſſima) areſcunt. Si itaque fluuiũ pacis iugem atque in ſuo fluxu nullatenus interruptum bibere delectat, neceſſe eſt ex Iuſtitiæ illum oriri gurgite: qui nulli vnquam prorſus areſcit, niſi qui illius ad ſe meatum obturãdo intercluſerit. Sed quoniam ex Iuſtitiæ abolitione tam bellorum diſcrimina quam cætera regni vulnera exorta docuimus: reſtat vt de illius ab exilio reuocatione atque reſtitutione aliqua dicamus: quæ velut peritiſſima

medendi magiſtra ſi ad nos reuocata fuerit, cuncta noſtræ ſalutis antidota quæ abiens exportauerat ſecum reportabit: ſicque ad perfectam ſanationem (ſi illi obedierimus) nos facile reducet. Et quia per res contrarias morborum cauſis ac radicibus, ſecundum præcepta medicorum, curationem fieri neceſſe eſt, videamus ſi placet, magis in ſpecie, quibus ex rebus in has ærumnas patria iſta vel politia delapſa eſt.

12 Cauſa autem præcipua ac permaxima omnium malorum noſtrorum miſeriarumque illa mihi eſſe videtur, quod terminis ac iuribus antiquis quos tenuerunt nobiſque dederunt maiores minime contenti, dilatare fimbrias noſtras nimis in pompa ac faſtu voluimus: quodque vltra ordinarios regni prouentus vberes adeo ac magnificos, vt nullo in catholico regno ſimiles ſint, ſuper Clerum atque populum regni huius tanta nouorum vectigaliũ onera, contra antiquam atque eatenus obſeruatam regni libertatem, contraque regni formam iuramenti inſtituimus. Ex hac radice in regno orta eſt morum antiquorum ac laudabilium, quibus ſumma proſperitate diu floruerat, corruptio atq; abolitio. *Ex illo fluere ac retro ſublapſa referri Gallorum virtus, laus, gloria, fama, triumphi.* Ex illo cœpit tempore pro ratione voluntas regnare, pro grauitate lubricitas, pro diligentia vanitas atque ocioſitas, pro moderatione violentia, pro manſuetudine crudelitas, pro iure iniuria, pro defenſione oppreſſio, pro legitima poſſeſſione atque acquiſitione extortio, pro rerum ordine confuſio, pro libertate dura ſeruitus, in verbis arrogantia & contumelia, in geſtu ſuperbia, in ſumptu, victu, veſtitu, luxus, pompa, ſuperfluitas, & intolera-

bilis exceſſus. Ex illo pullulauit germine antiqui regij dominij contemptus ac negligentia: iuriumque atque prouentuum ad coronam pertinentium corruptio & deperditio. Tanta etenim ex nouis tributis impoſitis auri atque argenti manabant flumina, vt iam ordinarij redditus, quaſi pro nihilo habiti, vileſcerent. Ex hoc fonte domeſticæ ſeditiones, inteſtinæque proceſſerunt diſcordiæ: Ex illo intoleranda nobilitatis arrogãtia profluxit, quæ cæteros ex tunc ordines ſiue ſtatus cœpit contemnere ac vilipendere, illorumque pro arbitrio bona diripere. Exinde regnum ab externis hoſtibus ſæpe peruaſtatum, a domeſticis autem longe grauius conculcatum atque profligatum. Inde noſtri turpiter fuſi atque fugati exercitus: Inde prædãdi libertas, per vimque rapiendi orta: denique ex tempore illo Reges vniuerſi aliquo fuerunt ſemper infortunio afflicti: captus eſt Iohannes atque in hoſtili regione extinctus. Traditus ſæpius a ſuis Carolus quintus, ſæpe etiam potionibus appetitus: vt magna ex parte temporis non niſi arte medicorum atque ſubſidiis viueret. Nam de Rege quidẽ hodierno quid loqui attinet, cuius cladem ac calamitatem mundus vniuerſus agnoſcit? Cuius cladis nõ aliam puto cauſam ueriſimiliorem, quam quod extortiones iſtas a ſuo primogenitore conſcientia ducto in morte remiſſas, licet ab eodem progenitore ne illas vnquam exigeret iureiurando cõſtrictus, paulo poſt regni ſui exordia, perfido fretus conſilio, iterum reuocauit ac reſuſcitauit. Omitto quod ex tempore illo nulla militaris ſeruata eſt diſciplina, nulla ex tunc militantibus data ſtipendia: cum tamen illa occaſione tanta angariarum onera

impoſita eſſe dicerentur: quod nulla ex diebus illis fuit populi aut Eccleſiæ defenſio, ſed horrenda atque tyrannica nimis oppreſſio: quod nullus exinde fiſcus, nulla pecunia publica, nullũ ad dubios euentus commune ærarium: ſed aulicis & hiſtrionibus, gnatonicis ac lenonibus omnia diſtributa: quod in cultu & veſtitu, in equis ac familia, nulla ex illis temporibus lex aut menſura ſeruata: non ordo, non ritus antiquus, non honeſta conſuetudo, non numerus aut modus aliquis, ſed per luxum effœminatum omnia confuſa. Taceo quod ex annis illis nulla cura reipublicæ, aut publici commodi fuit: nullus ſtatus regius, nulla in conſiliis grauitas, in bellicis rebus ſtrenuitas, in agendis conſtantia, in exequendis diligentia; ſed priuatæ cupiditatis explendæ deſideriũ, omnia quæ publica erant aut extinxit, aut abſorbuit. Quod plebeij atque ignobiles rapinis amplificati, paſſim in familia & equitaturis, nobilibus ęquantur: quod quilibet etiam minimus ad prædarum amplitudinem decem aut duodecim latrones ſecum trahit. Quod in publicis magiſtratibus atq; officiis ſtatuendis, non locis ac regionibus, ſed perſonis ſolum ipſis quibus officia mandantur, conſulitur, atque prouidetur: quod cupidi & inutiles magis quam digni ac meriti ſolent in talibus conſtitui, qui per fas & nefas a ſubditis ad priuatam vtilitatem vndique extorquent: quod omnia virtutis emolumenta ambitio poſſidet: quod per aſſentatores & nummularios (vt turpiora ſileam) vniverſa reguntur: qui dominorum lateribus indeſinenter aſſiſtentes, cuncta pro libito diſponunt: publica conſilia priuatis diſſipant, publica commoda priuatis ſubuertunt, nouas exa-

ctiones ſuggerunt, noua numiſmata fabricant, nouas rapinas meditantur, & nihil plerumque niſi in reipublicæ excogitant perniciem. Qui officia, qui beneficia, qui iudicia, maleficia, ſcelera quæque, ac flagitia, vt exinde pingueſcant apud Principes vęnalia faciunt. Nec mirandum ſi vęnalia omnia faciunt, cum ipſimet vęnales ſint, maioraque pollicentibus patroni atque adiutores exiſtant.

13 Et quia ad Iuſtitiæ vænalitatẽ ſermo noſter peruenit, libet de re illa paulo latius aliquid loqui. Quid enim poteſt excogitari deteſtabilius, quid turpius, quid iniquius, quam præfecturas & alia publica officia Iuſtitiæ publicæ vænumdari? Quod tamẽ in Regno iſto paſſim fieri nemo prorſus ignorat: vbi abſque aliquo perſonarum ſufficientiæque delectu, maiorem ſummam tribuenti Officia traduntur. Itaque videas ſartores ac cerdones & ignaros quoſque artifices in præfecturis, aliiſque iudiciariis magiſtratibus vulgo conſtitui. Et nonne quæſo princeps quiſque debitor Iuſtitiæ eſt in ſuo principatu? Debitoris autem eſt gratis reddere, non vendere quod debet. Vnde enim tantus Principi honor, tanta dignitas & reuerentia, vt *Dei miniſter* in ſcripturis appelletur? Vnde præterea tanta illi prouentuum copia, niſi propter Iuſtitiæ miniſterium? Si autem propter Iuſtitiæ exercitium tanta a ſubditis commoda percipit, qua fronte illam rurſus uendere eiſdem præſumit? Notum eſt Regem a tyranno per Iuſtitiam diſtare: cum Regis ſit per Iuſtitiam in ſuis iuribus ac libertatibus populum tueri: tyranni vero per iniuſtitiam illum opprimere. Quid ergo eſt Regem aliquem Iuſtitiã vendere, niſi illud vendere per quod & propter quod

ipſe Rex cenſetur? Porro quod ab aliquo venditur à vēditore alienari neceſſe eſt, atque in emptoris tranſire poteſtatem. Quomodo ergo apud illum poteſt manere Iuſtitia, qui illam per venditionem a ſe alienauerit? O ſcelus, ô ſordida nimis cupiditas, ô pudenda mirum in modum corruptela, illud Regem vendere, quo ipſe Rex eſt. Tolle a domo fundamentum, tota domus corruit: tolle a Rege Iuſtitiam, Rex eſſe deſinit. Non ſceptrum aut Regia corona, non ſolium, non trabea, non paludamentum Regem faciunt, quæ ſæpe per iniquitatem ac violentiam ab alienis eripiuntur: ſed Iuſtitia & iudicium, quæ dignis honore Regio à Deo donantur, ſecundum illud propheticum quod pro ſe & filio ſuo Dauid poſtulat. *Deus iudicium tuum Regi da, & Iuſtitiam tuam filio Regis. Iudicare populum tuum in Iuſtitia, & pauperes tuos in iudicio.* Denique, quid eſt Iuſtitiam vendere, niſi peccata hominum vendere, non Iuſtitiam hominibus miniſtrare? Neceſſe quippe eſt vt illi qui tanta licitatione, preciique ſuper alios exereſcētia Officia redimunt, a ſubiectis per omne nefas pro precij confectione extorqueant: ſicque pro Iuſtitiæ debito iniuſtitiam ſæpe miniſtrent. Quid quod omnia maleficia pecuniâ mulctant quæ aliis ſæpius eſſent plectenda ſuppliciis? Quid quod malos & pernicioſos illos oportet eſſe Iuſtitiæ miniſtros, qui nullo omnino ducuntur zelo Iuſtitiæ, ſed peccatis potius ac flagitiis hominum delectantur, illaque totis ſtudiis ac votis exoptant: & ſi nocentes non inueniant, in ipſos ſæpe innocentes deſæuiunt: quos fictis exagitatos criminibus, nocentum ſuppliciis affligūt: quemadmodum ad ſuggeſtionem perfidiſſimæ Iezabelis

de

de viro iuſto Naboth ſcriptura refert. Neminem itaque mirari oportet alienatam prorſus a Regno iſto eſſe Iuſtitiam, cum more pecudis aut mancipij paſſim illic væneat. Denique cum Iuſtitia regna omnia atque Imperia fundet, firmet, conſtituat, conſeruet, atque ſtabiliat, illam velut nobiliſſimam reginam omnium virtutum imperare non ſeruire decet, dominari non ancillari. Quale vero inter nos habet imperium, qualem auctoritatem, imo qualem omnino libertatem: quæ inſtar ancillæ empticiæ de altero in alterum, & de vili in viliorem quotidie migrat? Sicut autem per Iuſtitiam regna conſeruantur & inuiolata manent, atque ad hæredes tranſeunt legitimos: ita per illius abſentiam perire ſolent & diſſolui, ad alienoſque transferri. *Subſtantia* namque *impij*, teſte Salomone, *ſeruatur iuſto*. Et rurſus alibi hæc verba ſcribuntur, R*egnum a gente in gentem transfertur propter iniuſtitias & iniurias, & contumelias, & diuerſos dolos*: quæ quantum ipſi pertimeſcere debeamus, nemo eſt qui non perſpiciat. Nonne propter plebis Iſraëliticæ tyrannicam oppreſſionem Pharaonem atque Ægyptios tot grauiſſimis a Deo plagis percuſſos legimus? Et quoniam indurati populum Dei a ſeruitute, ſedulo ad hoc per Moyſem diuino imperio moniti, liberare recuſauerunt: tandem a populo ipſo, Dei iuſſu ſpoliati, in mediis ſunt maris fluctibus extincti. Nec deſunt excellẽtes & magni doctores in ſcripturiſque diuinis exercitatiſſimi, qui per Ægyptum atque Ægyptios ſecundum concordiã veteris ac noui teſtamenti Galliam aſtruunt & Gallos intelligi, ſimileque aliquid Ægyptiis, tum in plagis & mentis obduratione, tum in deprædatione & tandem in mor-

tis genere Gallos perpeſſuros, vt ſic illud impleatur propheticum, *Væ qui prædaris, quoniam ipſe prædaberis: & væ qui ſpernis, quoniam ſperneris.* Sed quamuis dura adeo flagella iuſte meruerimus inceſſanterque mereamur: libet tamen a clementiſſima pietate noſtri Saluatoris in noſtra lege gratiæ atque amoris mitiores pœnas auſpicari quam in illa auſtera lege iræ ac timoris inferri ſolebant. Scimus præterea Roboam iuniorum conſilia ſequutum, propter durum populi iugum regnum pene vniuerſum perdidiſſe.

14 De templi autem ſpoliatione atque prophanatione exempla opportuna habemus in libris Machabeorum de morte ignominioſa Antiochi illuſtris, & de acerbiſſima Heliodori flagellatione, qui templũ Hieroſolymitanũ auſu improbo temerare præſumpſerant. Ad quod etiam multum pertinet quod de Pompeio legitur, qui cum Hieroſolymam veniſſet, loci religionem minime reueritus, equos in templo ſtabulauit: ex quo tali infortunio a Deo percuſſus extitit, vt poſtmodum nihil ſtrenuum, nihil egregium geſſerit, cum vſque ad tempora illa ex vniuerſis hoſtibus triumphator rediiſſet.

15 Poſſem multa de noſtra prodigalitate dicere quæ nihil in futurum reponit: ſed aut immoderato abuſu, aut profuſa largitione vniuerſa conſumit: vt pene pro quotidiano victu pecuniæque mutuatione ad fœneratores cõfugere neceſſe ſit. De ineptiis præterea, laſciuiis, ac vanitatibus in quibus tempora noſtra conſumimus: De ludis, & choreis nocturnis, ſoporeque diurno: Poſſem denique de aliis pleriſque, ſi ſingula mihi eſſet ſtudium complecti: ſed iam tedet in plagarum noſtrarum enumeratione diutius

verſari, & ad aliquid de remediis tantarum egritudinum perſtringēdum magis venire delectat, quod vtique ordo ipſe iam poſtulare videtur.

16 Nulli dubium eſt omne Regnum, omnemque politiam recte inſtitutam, ex tribus hominum conſtare generibus: quos vſitatiori appellatione tres ordines vel ſtatus ſolemus dicere: ex ſacerdotali ſcilicet, ordine militari & plebeio. Tunc autem vnaquæque politia iuſte ac laudabiliter regitur, quando quilibet illorum ordinum duobus aliis ad vtilitatem miniſtrat. Debet ſacerdotalis ordo in his quæ Dei & fidei ſunt, & quæ ad cultum religionis, atque ad ſalutem animæ ſpectant reliquos duos inſtruere: & illi debent eidem in his obedire. Militaris autem ordinis eſt Prouinciam ipſam & duos alios ordines, Clerum ſcilicet ac populum in perſonis ac bonis ſuis ab hoſtium incurſione defendere, vicemque canum obtinere, qui oues a luporum tuentur inſidiis. Ad plebeium vero pertinet ordinem, ſuum negotium in quiete agere, agrorum laboribus cæteriſque artificiis in republica neceſſariis diligenter atque fideliter inſiſtere: vnde & cæteri ſtatus & tota in genere politia ſuſtentari valeāt. Iſti namque velut oues ſunt, iuxta verba Domini apud Ezechielem, *Vos autem greges mei & oues paſcuæ meæ homines eſtis.* Et in Pſalmo, *Nos autem populus eius, & oues paſcuæ eius.* Sunt etiam veluti pedes aut baſes patriam ipſam ſuſtinētes, quibus proſtratis aut ruentibus ipſam neceſſe eſt patriam concidere.

17 Ad Regē vero vel præſidem (qui totius prouinciæ caput eſt) ſpectat tranquillitatem & concordiam in Prouincia ipſa & inter ordines ſingulos conſeruare,

turbatoreſque cōcordiæ iuſtis ſuppliciis punire. Pertinet præterea ad Regem vnumquemque ex ordinibus ad ſuum in politia Officium debite exequendum cogere, ſingulos ex ęquo ordines (ne perſonarum acceptor ſit) & tueri & diligere: dignos, ac bene meritos exaltare, improbos autem & criminoſos, contumaces & ſeditioſos, politiamque perturbantes pro criminum vitiorumque enormitate pœnis afficere; pacem & charitatem inter ordines ſeruare, nec permittere vnum ab altero aut lædi aut conculcari: ſed omnibus ac de omnibus abſque perſonarum aut ſtatuum fauore, Iuſtitiam æquabiliter miniſtrare: antiquam patriæ libertatem illibatam cuſtodire, nec nouas exactionum adinuentiones, niſi in extrema neceſſitate, & de publico trium ordinum cōſenſu atque conſilio, inſtituere: quas ſi neceſſitas imponi cœgerit, ſemper tamen debent temporales eſſe, & ceſſante neceſſitate deſtitui. Vt autem Princeps non cogatur ad talia extraordinaria ſubſidia confugere (per quæ plerumque in tyrannidem, & ex conſequenti in diſſolutionem politiæ labuntur) debet regularem ac moderatum in ſumptu & familia habere ſtatum, quemadmodū & cæteri reges etiam nunc faciunt: & noſtri (ante hæc tributa) facere ſolebant: cuius rei fidem faciunt antiqui libri compotorum. Denique talem debet ſumptum Princeps quiſque ſapiēs facere, vt ampliorem partem annuorum prouentuum poſſit in theſauro condere, atque in ærarium publicum propter dubios euentus reponere. Quid eſt enim Rex ſine theſauro, aut regnum abſque publico ęrario, niſi ciuitas ſine mœnibus, aut domus ſine fundamento? Debet præterea Princeps

quiſque rationem ſui quotidiani ſumptus, ſaltem ſemel in hebdomada, cognoſcere: nec immoderato ſtatu vel profuſa largitione, aut ſeſe in egeſtatem, aut patriam in tyrannidem redigere. Quid enim turpius quam illum qui Regni adminiſtrator eſt, ſuæ domui neſcire præeſſe? *Qui ſuæ domui præeſſe neſcit, quomodo Eccleſiæ Dei diligentiam habebit?* Verba ſunt Pauli in epiſtola ad Timotheum. Quod autem ille de Epiſcopo dixit & de Eccleſia, quis de Rege & politia cōuenienter dici poſſe non videat? Maxima ſiquidem neceſſitas eſt, Regem in moribus & vita, & omni ſuo regimine, virtuoſum ac moderatum & bene compoſitum eſſe: vt pote ad cuius exemplar cæteri ſeſe conformare atque componere ſtudent. Vnde ſcriptum eſt, *Qualis rector ciuitatis tales habitantes in ea.* In eandem quoque ſententiam poëta quidam non ignobilis ſcripſit. *Regis ad exemplum totus componitur orbis.* Denique experimur in nobiſipſis, ex dolore capitis ſatis mediocri, magnum in toto corpore languorem fieri, ſingulaque membra illo ægrotante quaſi inertia torpere. Cauſa autem non iniuſta eſt, quoniam ab illo ſenſus & motus & vitalis vegetatio in illa profluit. Propterea non indocte monet Apoſtolus, imo obſecrat fieri per Eccleſiam orationes, obſecrationes, poſtulationes, & gratiarū actiones pro regibus, & pro omnibus qui ſunt in ſublimitate conſtituti: vt quietam & tranquillam vitam agant homines in omni caſtitate. Et ſignanter addidit in omni caſtitate: quoniam in tempore tranquillitatis ſolent licentius vitia atque carnis diſſolutio obrepere: niſi luxum ac petulantiam (ex quiete prodire conſuetos) temperantiæ moderatio cohęrceat. Super omnia au-

tem ad Regem pertinet Eccleſiam & populũ ſuum, non ſolum a nouis angariis exactionum, verum etiam a militari direptione rapinarumque licentia, ad quas militia prona eſt, præſeruare: quod etiam in coronæ ſuſceptione iureiurando ſe facturum pollicetur. Dei quippe miniſter eſt in Iuſtitiæ executione. Quomodo autem Iuſtitiæ miniſterium implet, qui libertatem rapiendi ac latrocinandi in Regno publice permittit? Quid enim eſt nobilitatem vel militiã, populum atque Eccleſiam publica prædatione ſpoliare, niſi canes in luporum rabiem conuerſos, oues quas tueri debebant, lupino more deuorare? Qua ex re in has potiſſimum miſerias Regnum hoc tam lamentabiliter redactũ eſſe dignoſcitur: quod quamuis vniuerſi & ſciant & confiteantur, nullus tamen eſt qui prædatoribus frænum aut cẽſuram aliquam conſtituat: adeo cum capite ipſo membra vniuerſa ægrotant, nec tamen ſenſum ſuæ ægritudinis lætali ſtupore percuſſa cognoſcunt. Tuæ igitur ſerenitatis eſt, ô Dux inclyte (quem ad huius Regni perditiſſimi conſolationem noſtra nubilioſa ſæcula velut ſydus quoddam lucidum prætulerunt) tui fulgentiſſimi luminis radios non amplius iam ſub modio continere, ſed ſuper candelabrũ poſitos, in apertũq; productos latius diffundere: atq; hanc teterrimã ſcelerũ cohortem, quæ hanc feliciſſimam nuper florentiſſimamque patriã ita ſuis tenebris fuſcat, fœdat, polluit, exterminat, tui aduentus illuſtratione diſcutere.

18 Et quoniam vbi grauius eſt periculum, illic prius prouiſionum adhibenda remedia ſunt: a militaris diſciplinæ reformatione ante omnia inchoandũ arbitror, cuius (niſi fallor) lapſus atque abolitio cun-

ctorum patriæ malorum origo ſunt. Longum autem eſſet ad hanc rem pertinentia hic inſerere, de qua magna ſunt volumina a præclaris conſcripta authoribus: quæ ſi noſſe deſiderabis per doctos tibi poterunt homines lucidius explanari. Si tamen te delectabit meã ſuper hoc ſententiã agnoſcere, ſatis illam in quadã epiſtola a multis iã annis edita perſpicere poteris. Qunata enim illa abuſio eſt, quãta corruptela quãta Iuſtitiæ exinanitio, vt illi qui regni tutores in ſingulis ſuis partibus ordinibuſque eſſe debent, vſq; ad omnimodã perditionem illud diripiant atque dilapident? Ad huius execrabilis plagæ medicamentũ, te præcipue & ſuper omnia vigilare conuenit: quæ niſi per opportuna remedia ſanata fuerit, nullam video de regni ſalute ſpem poſſe concipi. Si autem hæc dira peſtis per medelam reparationis fugata fuerit, facile cætera vitia ex corrupta illa radice prodeuntia curabuntur. Magnas autem omnes patriæ beneuoli, Deo gratias agere debent, quod curam exterminationis huius acerbiſſimi mali, tuis (vt fama eſt) præcordiis inſpirare dignatus eſt: quodque hanc abominationem deſolationis in toto patriæ ambitu altius radicatam, de ſolo patrio extirpare, duce Chriſto, ſtatuiſti: quo in opere ſicut diuinam gratiam inſpiratricem habuiſti, ita adiutricem te habiturum formidare nõ debes. Neque enim ille gratiam ſuam, dona ſua, ſpiritum ſuum, quo te præuenire voluit, deſtituet: ſi tu quoque quod in te fuerit vigilanter ac fideliter exequi ſtudeas.

19 Sed in huius peſtilentiſſimæ cladis extirpatione, cæterarumque in hanc deſertionem Regnum hoc adduxerunt, non inexpertorum te iuuenum cõſilio

vtì oportet, non cupidorum aut rapacium qui aſſiduis largitionum poſtulationibus, vſque ad nouiſſimum quadrantem, Principes exhauriunt, totumque (vt ita dicam) ſanguinem more ſanguiſugarum penitus exugunt: ſed ſapientum, probatorumque ſeniorum, qui priuatæ commoditati publicam curent vtilitatem anteferre: quod in ſingulis etiã mandandis Iuſtitiæ magiſtratibus diligentius obſeruandum eſt: vt tales in illis præficiant, qui Iuſtitiæ zelũ habeant, non burſæ ſpoliis complẽdæ ſtudium. Quo enim pacto Iuſtitiæ recte conſeruandæ apti poſſunt eſſe miniſtri, qui priuati lucri gratia ſæpius per iniuſtitiam innocentes opprimunt, & maleficia ſubditorum potius quam innocentiam deſiderant? Quis per tales miniſtros reuocari ab exilio poſſe Iuſtitiam, niſi ſtultus expectet: qui illam proſcripſerunt atque ex Regni finibus eiecerunt?

20 Nec illa tuam debet mentem neceſſaria præterire conſideratio, vt a Regio latere & famulatu canes aulici neſcientes ſaturitatem, ſed iugiter ad deuorandum inhiantes, prorſus abiiciantur: quos nulla ſpoliatorum Principum poſſunt munera ſatiare: qui ipſos Principes ad noua extortionũ genera populo miſerabiliter eſurienti imponenda inceſſanter inſtigant. Sed quid tales per vim extortæ proſint pecuniæ, diuturna ſatis euidentia experiri licuit. Poſtquam enim tales introductæ ſunt exactiones, totum ad inopiam eſt Regnum redactum: Nil imprimis famelicæ plebi relictum eſt, ſed quod fiſcus non habuit, prædatorum violentia eripuit: quod prædonũ crudelitati ſubtractum eſt, quæſtuoſorum magiſtratuum iniquitas abſtulit: quod illis autem ſuperfuit,

clientes

clientes atq; ſatellites extorſerũt: vt aperte impletũ cernamus illud propheticũ Iohelis. *Reſiduũ erucæ comedit bruchus, reſiduũ bruchi comedit locuſta, reſiduũ locuſtæ comedit rubigo.* Quid autẽ ex tãto aceruo exactæ regio Imperio pecuniæ apud Regem ipſum remanet, aut apud fiſcũ: cum ſæpe tota indictio ex aulicorum ſentẽtia prius eſſe conſueuerit diſtributa quam recepta. Pertuſus itaq; iampridẽ eſt regius fiſcus & nihil retinet, ſed omnia effundit, vt poſſit de illo recte dici illud verbum Aggei Prophetæ. *Qui congregauit merces, miſit illas in ſaccum pertuſum.* Videmus in ſacco pertuſo nihil immiſſum poſſe diu cõtineri, ſed quod vna ex parte ingeritur, ex altera effunditur: quodque ex ſuperiori parte accipit, mox per inferiorem defluit. Quæ ſunt autem ſacci pertuſi duo foramina, niſi duo vitia quæ prima ſpecie videntur contraria, ſed ſæpe in noſtris Principibus, hodiernis ſolent diebus eſſe coniuncta: nimia ſcilicet cupiditas aliena habendi, & immoderata prodigalitas habita largiendi? Prima congregat, ſecunda diſpergit: prima deglutit, ſecunda euomit: prima infundit, ſecunda effundit: prima ingurgitat & ſemper eſurit, ſecunda etiã cum ſatura eſt fragmenta proiicit. Prima ſolicitari de futuro videtur, ſecunda improuida, nec præſentia regit, nec futura proſpicit. Prima eſt os ſacci ſupremũ, ſemper paratum ad accipiendum: ſecunda foramen infimum quod nunquam clauditur ſed iugiter patet ad late ſpargendum. Liquet ergo quod pecunia talibus angariis collecta nihil principibus proficit, qui ſemper ex tempore illo quo iſta fieri cœperunt inopes & egeni fuerunt, & infinito oppreſſi ære alieno.

Fallitur autem quiſquis exiſtimat aulicis & curialibus qui totum fere accipiunt iſta profutura: qui tandem cœleſti eos vrgente iudicio, aut a Principibus quos ſpoliauerunt ſolent ſpoliari, aut ab eorum hæredibus vel ſucceſſoribus, qui ſe per illorum inſidias tanta exutos hæreditate conſpiciunt: aut ad extremum ab illis qui diuino inſtinctu rempublicam per tales collapſam releuare aggrediuntur, non ſolum glutita coguntur euomere, ſed ſuis peſſimis conſiliis proſtratæ funditus patriæ pœnas debitas exoluere. Quocirca (vt dicere cœperam) tales peſtes, tales furias regum pariter ac patriarum exterminatrices, a Principum neceſſe eſt ſocietate longius abalienari, niſi irreparabiliter regnum ipſum deperire volumus.
21 An non vides poſtquam remiſſæ ſunt plebi angariæ vectigalium, quam capitale confeſtim Regni vulnus rurſus de numiſmate excogitauerunt? Quo nihil vtique pernicioſius aut infelicis patriæ magis exterminatiuum inueniri poterat. Quo in lacu quam late piſcati ſint huius doli fabricatores, nec mente ſatis concipi poteſt, nec lingua exprimi. Habent illi iam propemodum totam in argento & auro Regni ſubſtantiam, & pro his indigna commutatione infinitam ęris & cupri monetam cuderunt. Principes autem etſi fructum ex hac præda capiunt, vilis tamen ille eſt, & carè nimis illis cõſtat: vtpote per quẽ redituum ſuorum ordinariorum pluſquam dimidium perdunt: imo iam vix tertiam partem recipiunt. Nec ſoli illi, ſed vniuerſi cuiuſcumque ordinis, qui ex annuis prouentibus viuere conſueuerunt. Attende autem quam deteſtabilis quamque intolerabilis

ſit exactio iſta, per quam & Principes ipſi, & tota nobilitas, & ſinguli hominum ſtatus, reddituum in pecunia ſoluendorum duas partes amittunt: & ſi moneta aſſiduein deterius procedat, prout quotidie fit, toti tandem prouentus ad fundum vſque exhauſti, ad nihilum venient: atque ita neceſſe erit totam politiam fame, penuria, & egeſtate iam miſerabiliter laborantem, ſublatis etiam redditibus, qui ſunt nerui reipublicæ, intra pauci lapſum temporis irreparabiliter interire.

22 Denique ab antiquis politiarum rectoribus inuentum eſſe conſtat vſum numiſmatis, vt conueniens eſſet medium Iuſtitię commutatiuæ, preciumque rerum vęnalium. Debet itaque quod precium eſt, ex precioſo aliquo cõfici metallo, alioquin quomodo precium ſi nihil in ſe continet precioſum? Debet præterea ex tali re fieri, quæ non modo apud patriæ indigenas, verum etiam multo magis apud alienigenas cara atque precioſa habeatur: quatinus per illam cum eis liceat in permutandis mercimoniis per emptionem & venditionem participium habere. Quid eſt igitur ex tali re numos efficere, quæ nihil precioſitatis in ſe contineat, niſi alias regiones in vſu mercaturarũ a ſe alienare: ſine quo nulla politia diu durare poteſt, inuiolataq; manere? Taceo de furto & peculatu, & viliſſimo quæſtu, & ſpoliatione reipublicæ, & periculo ſeditionum, & noſtri in politia regiminis ab aliis nationibus contemptu atque irriſione, & de ſequelis aliis, periculiſque non mediocribus ex hac infauſta radice prouenire diſpoſitis. Proinde ad plagam iſtam adeo grauem & periculoſam,

cicatrice tandem obducta rite medicandam atque abolendam, conſilio, vt iam dixi, expedit fidelium reipublicæ zelatorum vti: taleſque ex ſingulis exquirere, euocareque ordinibus, & illorum in reipublicæ vtili adminiſtratione atque reparatione ſententias ſequi, conſilia probare, opiniones ac iudicia operis executione confirmare.

23 Et vt in ſumma concludam: perutile, imo neceſſarium mihi videtur, ad vniuerſalem regni huius in cunctis ſuis membris & abuſibus reformationem, cõcilium vniuerſale triũ ſtatuum conuocari, illicque vitia & delicta ordinum ſingulorum, officiorumque & miniſtrorum, per ſapientes aliquos ad hoc ex ordinibus ipſis inſtituendos, proponi atque explicari: per conciliique definitionem ſingulis quibuſque erroribus, exceſſibus, ac læſionibus congrua adhiberi remedia: legeſque & prouiſiones ac ſtatuta opportuna ſuper futuro regimine conſtitui, cum pœnarum grauiſſimarum adiectione in illos qui de ſingulis ordinibus leges illas tranſgrediendo violauerint. Congruũ nempe eſſe videtur vt in ruina vel periculo vniuerſali, vniuerſale etiam quæratur auxilium: & quod omnes tangit, ab omnibus probetur. Quis enim vſqueadeo deſipit, vt vnius aut paucorum capitum (minus etiam fortaſſis ad communem vtilitatem affectorũ) iudicio, rempublicam tam lętaliter afflictam ita congrue reformari poſſe exiſtimet, ſicut per generalem congregationem totius politiæ in vnum collectæ: vbi priuatis repudiatis affectibus maior pars, vt veriſimile eſt, Spiritu ſancto præuenta & directa, ad publicam patriæ ſalutem aſpirabit? De ipſo namque

Spiritu ſancto, qui ſanctis fidelium congregationibus pie pulſatus adeſſe conſueuit, per Apoſtolum ſcriptum eſt, *Vnicuique datur manifeſtatio ſpiritus ad vtilitatem.* Et rurſus in Euangelio. *Spiritus ſanctus quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia.* Et iſta mihi videtur via magis efficax, & ſalutaris: magis facilis & opportuna ad fructuoſam regni ipſius, lapſu horrendo deformati, reformationem. Hæc ad te Princeps clariſſime de Iuſtitiæ in Frãcorum regia reſuſcitatione, abiectæque & longo nimis exilio proſcriptæ reſtitutione, raptim ſatis & celeriter, prout res & verba occurrebant, perſcripſi: non tam quidem vt tuam velim in agendis ſapientiam inſtruere, vel zelum, quo ad id feruenter inardeſcis, amplius accendere; quam vt tibi, cæteriſque patriæ zelatoribus potiora excogitandi occaſionem ingererem: qui de paucis plurima, de exiguis eximia, de palea triticum, de teſta nucleum, de cortice medullam norunt elicere.

Vita Magiſtri Nicolai Clamengij Catalaunenſis.

MAGISTER Nicolaus Clamengius, cognomentum habuit a pago diœceſis Catalaunenſis in Campania, quem vulgo appellant CLAMENGE: vix dum autem duodecimum ætatis annum attigerat, cum Lutetiam Pariſiorum ſtudendi cauſa venit; vbi ingenuis artibus ita operam ſuam in Collegio Nauarræ tranſmiſit, vt eo ſeculo nullos in eloquentiæ gloria æquales ha-

buerit, ſicut variæ lucubrationes ab illo proſa & verſibus conſcriptæ, demonſtrant. Academia Pariſienſis, ſæpe eius operâ in epiſtolis, ad diuerſos Principes pro ſchiſmate opprimendo , ſcribendis vſa eſt, quæquidem inter alia eius opera leguntur: ipſemet etiam priuato nomine multa ſuper eo argumento, nec non vt Principes Galliæ a bellis ciuilibus abſterreret, eleganter & magno cum ſtomacho ſcripſit. Porro, illum Rectorem Academiæ creatũ, & Theologiæ ſtuduiſſe, neque tamen lauream Magiſterij vnquam adeptum fuiſſe conſtat. Nominis vero & eloquentiæ Clamengij celebritas , eidem Benedicti XIII. beneuolentiam ſic conciliauit , vt Auinionem ad Curiam Romanam ſectandam ſeſe contulerit; vbi ſtatim illum Pontifex maximus a ſecretis habuit. Quod certe ingens illi odiũ & periculum apud populares ſuos conflauit: quoniam percrebuerat in Gallijs, Clamengium bullas excommunicationis a Benedicto in Carolum VI. Galliæ Regem latas, compoſuiſſe: quam ſuſpicionem atque odium, Epiſtola quadam ad Academiam Pariſiẽſem diluere conatur. Demum, factus eſt Præcentor Eccleſiæ Baiocenſis, & ad tempora Concilij Baſileenſis vitam protraxit, vt colligere eſt ex diſputatione quam cum Scholaſtico Pariſienſi ſuper materia Concilij generalis habuit: qua in diſputatione nominatim indicat, viros diſciplinæ Eccleſiaſticæ amantes, ſpe quam de Piſana & Conſtantienſi ſynodo concœperant, fruſtratos fuiſſe: & propterea valde timẽdum eſſe, ne hoc tertium Concilium (Baſileenſe porro intelligit) ſine fructu & Eccleſiæ reformatione, vt reuera contigit,

euaneſcat. Sepultus eſt in ſacello Collegij Nauarræ ſub lampade quæ coram magno altari de tholo ædis pendet: eiuſque ſepulchro, hoc diſtichum compoſitum a ſe, legitur inſculptum.

Belga fui, Catalaunus eram, Clemengius ortu,
Hic humus oſſa tenet, ſpiritus aſtra petit.

Plurima autem proſa & carmine compoſuit.

Primo magnum volumen Epiſtolarum ad diuerſos: quod inſigne eſt monimentum, probitatis, eruditionis, & eloquentiæ Clamengij. Inſuper etiam diuerſos lucubrauit tractatus.

De filio prodigo.
De fructu heremi.
De proſperitate aduerſitatis.
De nouis feſtiuitatibus non inſtituendis.
De ſtudio Theologiæ.
De corrupto Eccleſiæ ſtatu.
Diſputationem cum Scholaſtico Pariſienſi in materia Concilij generalis.
Tractatus contra Prælatos ſimoniacos.
Sermonem de ſanctis Innocentibus.
Deſcriptionem infortunij duorum amantium a ruſticanis occiſorum.
De lapſu & reparatione Iuſtitiæ.
Orationē ad Principes Galliarum vt a bello ciuili abſtineant.
Nouem Epiſtolas nomine & mandato Vniuerſitatis Pariſienſis, pro ſchiſmatis extinctione.

1. *ad Carolum VI. Regem Franciæ.*
2. *& 3. ad Clementum VII. P.P.*
4. *ad Capitula cathedralium Eccleſiarum Regni Franciæ.*
5. *ad Magiſtros & doctores ſtudij Colonienſis.*

6. ad Collegium Cardinalium Auinionenſium, poſt mortem Clementis VII. PP.
7. ad Regem Arragoniæ.
8. & 9. ad Benedictum XIII. PP.

Præterea ſcripſit vnam & alteram Orationem ad Deum.

Item, ſeptem Orationes, ad ſeptem horas officij diuini dicendas; puta ante officium Matutinum, ad Primam, ad Tertiam, ad Sextam, ad Nonam, ad officium Veſpertinum, & ad Completorium.

FINIS.

4100

aubouyn 51 # 210 7.20=

42 4 14
8 3
84 4 14
84 4
7 70